

AD D. FERDINANDVM IMP.

illustrior, quàm ob ueritatem & humilitatem: tum eo quòd nongentis fermè annis antequam Regis Romanorum titulus sub Christi auctoritate nasceretur, diuinitus à B. Methodio martyre fuit in hanc rem reuelatus, ut REX Romanorum CHRISTI regnum ex Occidente in Orientem reducat, & super Caluariæ montem coronã illi redditurus ubiq; promoueat (quod utinã legitimis armis iusticiæ, sicut Euangelij regno illic iam remisso fecisti, tibi, ut facias, concedat IESVS) Euangelij lux uotis & liberalitate comitata, in Orientem usque extremum refundatur. Adfui itaque, donec exornata fuit tua Typographia: sed statim, rogato prius Cancellario ut ducentos stipendiij mei aureos curaret ex æquo à tua Maiestate saltem in finem usq; Operis diuidi in Mosem & typographum, paulo post coactus sum cõscientiæ ui repetere Venetias, quibus uerò de causis, in alia Epistola, quam statim tuæ Maieitati mittendam destinauì (postquam quadriennij, meæ † conscientiæ legis Diuinæ æqualis probandæ causa, molestias ultro & uoluntariè susceptas, & aliquid suprã absolui) iam pridem tradidi, exposuìq;. Vnde nunc, ut T. M. ad reliquum Operis horter, hoc tam breue, ut breuius excogitari non possit, Compendium Cosmographiæ tibi, non solum ut habeas, sed ut legere possis, inscribo: ut in eo maximè uideas, ex innumeris Christianis toto in Oriente dispersis, & nobis antea ignotis, quantam utilitatẽ per pauculas Typographiæ Euangelij Christiani impensas toti Orbi

† Thomas Aquinas ex Pauli sententia certissime in Commentarijs suis in Pauli colligit & demonstrat, quòd cõscientiæ & legis diuinæ idẽ est iudicium, quia utraq; apud Deum aut absolute aut cõdemnare potest.